

Resp. Dist. *maj.* Vult peccatum permissive; conc. *maj.* Voluntate positiva seu beneplaciti; nego *majorem*.

Inst. 1.^o Deus positive vult, ut prima causa, determinare creaturam ad actum peccati: sed qui vult determinationem ad peccandum vult ipsum peccatum: ergo voluntate positiva vult Deus peccatum.

Resp. Negando *maj.* Deinde, conc. *min.* et nego *consequentiam*.

Inst. 2.^o Saltem Deus vult cooperationem suam ad peccatum creaturae; sed cooperatio ad peccatum est mala et turpis; ergo vult rem malam.

Resp. Dist. *maj.* Deus vult, voluntate *permissiva*; conc. *maj.* Aliter; nego. Pariter dist *min.* Cooperatio permissiva... est turpis; nego *min.* Cooperatio cum beneplacito; conc. Dein nego *consequentiam*. Verum de his inferius.

SCHOLIA.

De constitutivo liberorum Dei decretorum, eorumque divisione.

Conciliatio divinae immutabilitatis cum libertate adeo difficilis nobis existit, ut plures Doctores unum videantur negare attributum, dum aliud cum illo componere nituntur. Praestat autem obscurissimum hoc humiliter fateri mysterium, quam certae veritati quidquam perscrutando derogare.

§ I.

Duo certa praesupponenda.

239. I.^m Quidquid Deus vult ab aeterno voluit. Sic ait Apostolus (1): *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Et Augustinus (2): «Fac in mundo, quod apud te jam fuerat ante mundum; fac id suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti.» Et Conc. Vat. ait (3): «Aeterna voluntatis suae decreta.»

II.^m Nullum ens a Deo distinctum est aeternum. Nam «Liberrimo consilio Deus ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem:» (ibid.)

§ II.

Tria omnino rejicienda.

240. I.^m Quidam Calvinistae (vide Beccanum) dixerunt, decreta Dei libera esse accidentia realiter a Deo distincta: quod quidem

(1) Ephes. 1. 4.—(2) In Joan. Evang. Tract. 105, c. 17.—(3) Const. Dei Filius, c. 2.

fidei adversatur, scilicet, immutabilitati, simplicitati et perfectioni Dei.

II.^m Aureolus (1) dicit: in Deo nullam esse volitionem liberam efficacem; sed solam complacentiam necessariam in Bonitate sua et in omni re creabili, quae Deum tamen indifferentem sinit ad producendum vel non producendum: haec autem indifferentia in actum venit, non per aliam volitionem, sed per actionem ad extra, qua producit creatura.

Communiter non sine censura rejicitur haec sententia. Etenim 1.^o ut in Thesi dictum est, volitiones liberas Scriptura S. Deo tribuit. Deinde 2.^o eadem opera ad extra ordinantur a Deo ad hos prae aliis finibus, puta, Incarnationem ad salutem generis humani. Sed ejusmodi ordinatio unius medii ad fines diversos nequit per solam necessariam fieri complacentiam, quae immutabilis existit: ergo ea sola non sufficit. Denique 3.^o actiones contingentes ad esse vel non esse determinandae sunt Dei consilio et providentia. Sed non concipitur haec determinatio per volitionem necessariam: ergo haec insufficiens dicenda. 4.^o Si volitiones liberae negandae sunt, quia Deus est immutabilis, negare quoque opus erit cognitiones contingentium futurorum: sed hoc, ut ex Augustino vidimus, «perversissime atque insanissime dicitur» (2); ergo a pari.

III.^m Cajetanus ex adverso putavit, constitui actum Dei liberum per formalitatem Deo inhaerentem et realiter defectibilem.

Graviter hanc plures Theologi censurant sententiam. Bannez dominicanus eam non *bene sonantem* vocat: Medina quoque ait, ab *omnibus reprobata*: Molina, parum in fide securam: Suarez ait, *nullo modo* probandam.

Et sane reale compositionem et potentialitatem in Deo, actu purissimo, Cajetanus inducere videtur.

§ III.

Connotantium sententia.

241. Alia est opinio, quam non pauci, nec ignobiles, tenent Doctores; qui, ea de causa, *Connotantes* appellantur seu *Connotatores*. Censent enim constare actum liberum Dei duplici elemento, intra Deum uno, extra autem alio existente. Scilicet, Dei decretum liberum, ajunt, est amor Dei necessarius *connotans* effectum extrinsecum; amor significatur *in recto*; connotatum autem *in obliquo*. Ita Vazquezus et discipuli ejus; nec non Gonetus, Molina etc.

(1) I Dist. 4, a. 1.—(2) Thes. XXXI, n. 179.

Hanc opinionem solide subvertit Suarezius in sua Metaphysica. (1).

242. **Dico I.** Non constituitur decretum Dei liberum per amorem necessarium et connotatum extrinsecum.

Prob. 1.^o Si haec essent constitutiva actus Dei liberi, inciperet hic realiter in tempore. Sed falso id dicitur; ut patet ex Praesupposito 1.^o (n. 239).

2.^o Volitio efficax et libera est causa existentiae mundi; ergo existit pro priori ad existentiam mundi; ergo volitio mundi libera nequit constitui per eandem mundi existentiam; alias hic existeret prius quam existeret.

Antec. patet ex Vaticano (2), et Scriptura (3): Omnia quaecumque voluit Deus fecit.

3.^o Dari potest diversitas decretorum liberorum quin ulla detur differentia ad extra: ergo nequeunt illa per cognotata extrinseca constitui. *Antecedens* probatur. Eadem dona potest Deus decernere et dare, vel gratis, vel intuitu meritorum, vel propter orationem Petri, vel Pauli, vel amborum etc. Christus ordinatus in ruinam et resurrectionem multorum, potuit in talem ruinam, licet de facto eveniret, non ordinari. Sed his positis, nulla esset diversitas ad extra: ergo decreta diversa esse possunt, nulla posita differentia ad extra.

4.^o Multum laudatur liberorum decretorum Dei efficacia: *Non est qui tuae possit resistere voluntati, si decreveris...* (4). Sed inanis est haec laudatio, si constitutum Decreti sit ipsum extrinsecum connotatum: hoc enim modo non minus irresistibilis humana est voluntas.

5.^o D. Thomas ait (5): «Voluntas ad volitum habet duplicem »respectum: primum habet ad ipsum, in quantum est volitum; »secundum ad idem in quantum est producendum per voluntatem: »et hic respectus praesupponit primum. Primo enim intelligimus »voluntatem velle aliquid, et ex hoc quod producat ipsum in rerum natura, si voluntas sit efficax.»

Confirm. 6.^o ex thomistarum principiis. Nam ista concessa opinione, non posset Deus futura in decretis videre, ut illi putant, sed in se ipsis tantum; cum ipsa futura sint decretorum constitutiva, ut supponitur. Neque foret decretum ullum praedeterminans; quia quodlibet ens est constitutivus suis posterius: imo potius forent decreta praedeterminata, quam praedeterminantia.

(1) Disp. 30, Sec. 9.— (2) Supra, Thes. XXXV, n. 214.— (3) Ps. CXIII, 3.— (4) Esther, XIII, 9.— (5) De veritate, q. 23, a. 4, ad 15.

§ IV.

Alia expenditur opinio.

Dico II. Decreta Dei libera non constituuntur per aliquid realiter et virtualiter Deo identificatum, quod per respectum, seu terminationem, sit vere et realiter defectibile, absolute vero indefectibile.

243. Prob. 1.^o Per te, Deus et decretum liberum sunt, quoad esse absolutum, indefectibilia, defectibilia tamen realiter secundum esse respectivum: ergo esse absolutum et respectivum distinguuntur realiter, saltem virtualiter. *Consequentia* probatur. Repugnat entitatem aliquam existere realiter uno modo, et non existere realiter alio modo, quin unus et alter modus distinguantur realiter. Atqui per te existit decretum secundum esse reale absolutum, licet deficiat secundum esse reale respectivum: ergo duplex ejusmodi esse, absolutum et respectivum, realiter distinguuntur. *Major* patet exemplis et doctrina adversariis accepta: existere Petrum absolute, et non existere Romae; ostendit realem distinctionem inter utrumque, quia deficere potest esse respectivum, seu existere Romae: implicat esse capacitatem in materia ad plures formas, et non esse exigentiam ad plures formas, quin capacitas sit realiter distincta ab exigentia, etc.

2.^o In eo sensu, quo unum praedicatum negatur realiter de alio, distinguitur ab eo realiter, saltem virtualiter. Sed negatur de Deo realiter existentia respectiva decreti de altero mundo: ergo tale decretum, saltem virtualiter, distinguitur realiter a Deo quoad esse respectivum.

§ V.

Verior sententia.

Dico III. Actus liber Dei, ultra amorem necessarium, addit realem respectum virtualiter distinctum.

244. Ita plures è nostris Auctoribus et alienis, ad mentem P. Valentiae (1), et D. Eximii (2), et Scoti dicentis: amorem necessarium ob suam infinitatem *aequivalere* volitioni et nolitioni liberae.

1.^o D. Thomas docet (3): «Voluntas sua, uno et eodem actu,

(1) T. I, q. 19, p. 4.— (2) Disp. 30, Metaph. Sec. 9.— (3) Contr. Gent. I, 1, c. 82.

»vult se et alia; sed habitudo ejus ad se est naturalis et necessaria; »habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quamdam, non quidem necessaria et naturalis, neque violenta aut in-naturalis, sed voluntaria.» Oportet ergo quod habitudo ad alia (qua constituitur actus liber), sit virtualiter distincta, cum habeat praedicata realia contraria.

2.º Eo modo explicandus actus liber Dei, ut salvetur, proprie et libere decernere hunc mundum; vere et realiter non decernere alium mundum, licet ita se habeat realiter ac si decrevisset; et simul vitentur aliarum sententiarum incommoda. Atqui, posita Thesi, haec habentur; ergo. Nam, a) habemus, quod libere decernat hunc mundum; quia quod virtualiter distinguitur ab actu necessario et potentia, virtualiter produci potest vel non produci: sic Filiatio est producta, et Essentia, cui identificatur, non est producta. Item, b) cum distinctio haec realis non sit actualis, fit, ita se habere Deum realitate actuali, ac si decrevisset alium mundum; quia actu habet quidquid tunc haberet. Pariter, c) vitatur, quod Deus sit volens et amans per aliquid extrinsecum; quod aliquid Deo identificatum possit deficere; quia nihil deficit actu si non decernat, sed tantum virtute.

245. Objic. 1.º Talis esse debet forma denominans, qualis est denominatio. Atqui Deus realiter et *actualiter* est libere decernens mundum, et libere non decernens alium mundum: ergo volitio libera inest Deo, vel non inest, realiter et *actualiter*, et non solum *virtualiter*.

Resp. Dist. *maj.* Talis debet esse *absolute*... Nego *maj. Relative*, seu qualem exigit veritas denominationis; conc. Ex. gr. Petrus est professus, domus est antiqua, Antichristus est futurus; etc.: ejusmodi denominationes sunt actuales, et non exigunt formas actuales. Sic in Deo; ad eas denominationes et productiones, quae in creatis exigunt distinctionem realem actualem, distinctio sufficit virtualis, ut patet in mysterio Trinitatis. Cur ergo non sufficiet etiam virtualis distinctio et productio volitionis, ut actualiter velit Deus, vel nolit?

246. Objic. 2.º Haec productio et existentia virtualis volitionis liberae est perfectio realis: ergo si producat, acquirit Deus perfectionem realem; si vero non producat, illa caret. Resp. Dist. *ant.* Est perfectio realis actu distincta a perfectione necessaria; nego. Virtute tantum; conc. *ant.*

Inst. 1.º Ut virtute distincta, vel volitio libera est nihil, vel ens: non est nihil, quia negaretur libertas; ergo Deus aliquid perfectionis acquirit, vel amittit. Resp. Dist. *ant.* Est ens, quatenus ens opponitur nihilo; conc. Quatenus ens per actualem realitatem opponitur virtuali; nego.

Inst. 2.º Ergo datur medium inter non *esse* simpliciter, et *esse* simpliciter seu actu esse; nempe, virtualiter esse.

Resp. datur medium... in ente finito; nego: in ente infinito; conc. Sicut enim eadem simplex entitas est in Deo Filiatio et essentia, personalis et communis, producta et non producta, propter utriusque virtualement distinctionem et Dei infinitatem; ita volitio necessaria in Deo fit volitio libera vel nolitio, per virtualement solam distinctionem et productionem.

Objic. 3.º Haec virtualis entitas est idem cum Deo; ergo infinita: ergo aliquid infinitum deficere potest. Resp. Dist. *conseq.* Est infinita realiter et identice; conc. Infinita virtualiter; nego, vel subd. Est infinita absolute; nego: in suo ordine, seu in ratione volitionis liberae; conc.

§ VI.

Divinae voluntatis partitiones.

Paucis verbis praecipuas divinae voluntatis divisiones exponere juvabit.

247. I. Dividitur voluntas Dei in voluntatem *beneplaciti*, et *signi*. Prima est aliqua in Deo realiter existens volitio: altera solum *denominative* est Dei voluntas, quatenus illam aliqua ratione significat. Sicut imago hominis dicitur homo; signum verbi (Scriptura) vocatur verbum: ita divinae voluntatis signa Dei voluntas dicuntur. Quinque autem voluntatis signa numerantur: praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, factum.

248. II. Dividitur etiam in voluntatem *antecedentem* et *consequentem*. Illa fertur in objectum secundum se, ut exutum aliquibus circumstantiis: altera, è contra, omnibus illis perpensis. Sic vult Deus *antecedenter* omnium salutem; *consequenter* autem vult reprobos damnari, quatenus in peccato morientes. Sic iudex vult reum vivere, ut hominem; vult eum occidi, ut reum. Vide D. Thomam, (p. 1, q. 19, a. 6.); et Suarezium, (Tract. I, l. 3, c. 8.)

249. III. Voluntas Dei est *absoluta* vel *conditionata*: (videas exempla supra n. 191). Est etiam *efficax*, vel *inefficax*; illa quidem, quae effectum, seu objectum suum assequitur, vel saltem promovet ut oportet: altera autem effectu frustratur. Exemplum volitionis efficacis habes in morte Christi, in salute electorum; inefficacis autem in perditione reproborum, quorum mortem nolebat Deus. Tamen non est *omnino* inefficax voluntas salutis istorum, cum magna eis contulerit adjumenta.

250. IV. Distinguitur etiam virtualiter in Deo voluntas amoris, desiderii et gaudii, seu delectationis: ex. gr. *Ipse Pater amat vos*,

quia vos me amastis (1): Vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire (2): Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (3). Amor, scilicet, est actus voluntatis in bonum praecise; desiderium in bonum qua absens, ut evadat praesens; gaudium in bonum, complacendo in illo, qua praesenti.

His actibus opponuntur odium, fuga, tristitia: quorum duo priores Deo non repugnant, ut ex dictis patet (4); è contra tristitia, quae passionem et dolorem praesefert.

251. V. Dividitur amor in amorem benevolentiae, seu amicitiae, et concupiscentiae. Illo amatur objectum propter bonum ipsius; isto, è contra, quia bonum sibi, vel alteri. Deum amare homines amore amicitiae communis est Auctorum sensus contra Durandum, licet in ea amicitia explicanda non parum dissentiant. Alii enim putant Deum non posse amare creaturam propter ejus bonitatem creatam, tamquam motivum formale sui amoris, sed solum tamquam terminum cui vult bonum; *solum* autem bonitatem divinam esse formale motivum; sic, ut effectus, non autem affectus, sit propter nos. Ita communiter thomistae, nec non Molina, Valentia, etc. Alii autem DD. cum Ripalda, Esforcia, Arriaga, Vazquez, Suarez, etc., censent amari etiam creaturas a Deo propter illarum bonitatem, ut formale motivum. Huic opinioni favet S. Thomas, (l. l. contr. Gent. c. 93); alibi tamen (p. 1, q. 19, a. 1). favet priori; ideo ejusdem dissentiunt sequaces.

Nempe in primo loco ait: «Dare autem, non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem et convenientiam dationis, est actus liberalitatis... Deus igitur est maxime liberalis.»

252. Dico IV. Deus amat justos propter eorum bonitatem, tamquam motivum.

Nota I.º Supponimus Deum semper amare quidquid amet, etiam propter suam bonitatem; dicimus tamen moveri quoque, non quidem physice vel quasi physice, sed intentionaliter et terminative, ab ipsa bonitate creata.

Nota II.º Quae supra diximus de motivo formali divini intellectus (5), ad praesentem intelligendam quaestionem ducunt.

253. Prob. 1.º Ait Dominus: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis* (6). In illis verbis, *amat vos*, significatur *finis cui*; in illis autem, *quia vos me amastis*, notatur *finis cujus gratia*, seu finis movens ipsum affectum, seu motivum formale. Atqui amor disci-

(1) Joan. XVI, 27.—(2) I Tim. II, 4.—(3) Matth, XVII, 5.—(4) Thes. XXXVII, n. 229.—(5) N. 149 et seq.—(6) Joan. XVI, 27.

pulorum erga Christum est bonitas creata: ergo propter eorum bonitatem illos amat.

2.º Juxta communem sententiam, amat nos Deus amore benevolentiae. Sed ad hoc opus est amare propter bonitatem amati, tamquam motivum: ergo tali motivo amat etiam Deus. *Min.* constat ex doctrina certa, quod nempe virtutes ex fine motivo distinguuntur; alias quaevis donatio esset actus amicitiae, seu benevolentiae: quod sane est absurdum.

3.º Sicut creaturae participant a Deo, cum suo esse, veritatem, ita et bonitatem. Atqui propter suam veritatem sunt immediate cognoscibiles a Deo, nempe, quia sunt verae (1); ergo et propter suam bonitatem amari possunt, quia sunt bonae.

Confirm. Deus amavit suam gloriam extrinsecam, ob quam mundum condidit; salutem electorum, propter quam voluit et pati Christum; *complacuit inhabitare in Christo*, etc. Atqui, in obvio et naturali sensu, ejusmodi bona propter se amantur; ergo etiam amat justos propter eorum bonitatem.

254. 4.º In Deo dantur virtutes morales, ut docet D. Thomas (2) et communis Doctorum sententia. Sed non ita esset, si unicum formale motivum divinae voluntatis foret divina bonitas: ergo movetur etiam bonitate creata. *Min.* pr. In eo differunt virtutes morales a theologiceis, quod illarum motivum est honestas creata, harum vero bonitas divina. Sed nullus habet virtutem aliquam, nisi moveatur ex suo motivo formali: ergo non haberet Deus virtutes, si sola moveretur bonitate divina. Vide supra laudata D. Thomae verba (n. 251).

Confirm. Peccatores, malitia peccati sui, movent divinam voluntatem ad odium et justitiam vindicativam: hi enim actus formaliter supponunt malitiam tamquam motivum. Ergo et justis sufficientem habent bonitatem, ut sit motivum amoris benevolentiae.

5.º Preces B. Virginis, Sanctorum, merita Christi, Ecclesiae rogaiones, explicite intendunt, et ad hunc scopum Deo proponuntur, ut moveatur ad bonum conferendum. Sed Deus ad id movetur per voluntatem: ergo aliquid creatum potest movere divinam voluntatem.

255. Objic. 1.º Objectum motivum est causa actus ad quem movet. Sed nullus actus divinus potest a causa creata causari: ergo neque moveri. Resp. Dist. *maj.* Est proprie causa physice influens, vel improprie ac solum intentionaliter ad actum concurrens; conc. *maj.* Aliter; nego. Similiter distinguo *min.* Non potest causari physice; conc. Intentionaliter; subd. a sola causa, seu objecto creato;

(1) Supra, n. 153.—(2) Contr. Gent. l. 1, c. 93.
THEOL.—Tom. II.

conc. *min.* Aliter, nego. Nempe, simul cum bonitate creata amat Deus in quolibet actu bonitatem divinam, quam illa imitatur, et inde omnes affectus divinae voluntatis sunt infinitae et aequalis perfectionis, cum non quiescant unice et adaequate in finito aliquo bono.

Objic. 2.^o Objectum motivum est primum objectum. Sed repugnat bonum creatum esse primum Dei objectum: ergo non potest Deum movere. Resp. dist. *maj.* Est primum respectu objecti materialis; conc. *maj.* Respectu alterius objecti formalis; nego. Diximus enim, amare simul, ideoque et principaliter, propter suam summam bonitatem.

256. Objic. 3.^o D. Thomas (supra, cit. loc.) ait, solam divinam bonitatem esse objectum motivum divinae voluntatis: ergo bonitate creata non movetur.

Resp. 1.^o Certe, ut diximus, ibi favet sententiae oppositae: unde sequitur, utramque opinionem fuisse sibi probabilem.

Resp. 2.^o Objectum motivum, ex quo habet infinitam perfectionem, est sola divina bonitas; conc. In quod unice propter se terminetur: nego. Nam pari modo loquitur D. Angelicus, cum agit de objecto formali intellectus, scilicet esse divinam essentiam solam: tamen postea, alias veritates esse quoque intentionale motivum docet.

257. VI. Dividitur quoque Dei voluntas in *approbativam* et *permissivam*. Prima suum objectum approbat; altera vero vult non impedire terminum ab alia causa determinandum, non autem illum intendit vel approbat: hoc modo se habet divina voluntas erga mala moralia.

258. VII. Est etiam in Deo voluntas *intentiva*, seu finis; et *electiva*, seu mediorum: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus* (1). Finis intrinsecus *actuans* divinam voluntatem est ipsa bonitas seu essentia Dei, unde Augustinus (2) ait: «Ille a se ipso bonus est, non adhaerendo alteri bono.» Et D. Thom. (3): «Voluntas, cujus objectum principale est bonum, quod est extra volentem, oportet quod sit mota ab alio; sed objectum divinae voluntatis est bonitas sua, quae est ejus essentia.»

(1) Proverb. XVI, 4. — (2) Tract. in ps. 134. — (3) 1, p. q. 19, a. 1, ad 3.

DISQUISITIO V.

DE DEO TRINO IN PERSONIS

seu

Secundum Communicationem ad intra.

PROOEMIUM.

I. Sanctissimae Trinitatis mysterium Religionis christianae culmen est, centrum et fundamentum. Inter mysteria ergo fidei, omnes fatentur theologi, inhabitare mysterium hoc lucem inaccessibilem; qua de causa, in eo exponendo, Nazianzeni mandatum prae oculis habeamus: «Ducem potius fidem, quam rationem sequamur, si modo ingenii tui imbellicitatem in propinquiorebus didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut, quatenus sint ea, quae rationis humanae captum excedant, cognoscas: ne alioqui terrenus sis, ipsam tuam ignorantiam ignorans (1).»

DIVISIO GENERALIS.

- CAPUT I. De pluralitate ac ordine divinarum Personarum et relationum.
- II. De divinitate et unitate divinarum Personarum.
 - III. De proprietatibus, originibus et notionibus divinarum Personarum.
 - IV. De singulis Personis particulariter.

CAPUT I.

De pluralitate et ordine divinarum personarum.

ARTICULUS I.

Pluralitas divinarum personarum.

THESIS I.

In divinis sunt Pater, Verbum seu Filius, et Spiritus S.; tres personae realiter distinctae.

(1) Orat. 2, theol. n. 28 (Migne).